

Esaia continentur: & inde Cyrus accepit & agnouit prædicta esse à summo Deo per os Esaia prophetae. Aduerte tamen hic quòd libertas eundi in Ierusalem concessa cuilibet Israelita, intelligitur sine præiudicio tertii: hoc est sine præiudicio particularium hominū qui emerant aliquos Iudæos in seruos discernendum siquidem est inter Israelitas qui erant serui duntaxat regis, & eos qui erant serui aliorum virorum: nam serui regis absque auro & munere quocunque libertate donati sunt: vt Esaia prædixerat: serui verò particulariū dominorum redēpti sunt à Iudæis diuitibus, vt Nehemias ipse testator cap. 5. & transire fecit vocem per totum regnum suum, & etiam per scripturam dicendo. Sic dixit Cyrus rex Persarum: omnia regna terra dedit mihi dominus deus cæli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalaim quæ est in Iehuda, qui inter vos est de toto populo eius, sit dominus deus eius cum eo & ascendat. Et sic finitur secundus liber paralipomenon: Romæ die quinto Martii. M. D. XXXII.

THOMAE DE VIO
CAIETANI CARDINALIS
SANCTI XYSTI, IN LIBRVM
Hezrae commentarii.



IN anno primo Cyri regis Persarum. Principium hoc expositum est in fine paralipomenon. Et Cyrus iste est ille qui occisus est in bello apud Scythas: & caput eius à Tomir regina in vtre sanguinis positum, sanguinem sumpsit, sanguinem bibe insultante. vt completeretur verbum domini ex ore Iirme iahu. de reductione captiuitatis Iudæ post annos septuaginta: vt scribitur Iere. 25. & 29. Vbi scito quòd quia authentica scriptura nō tradit numerum annorum quibus reges Babylonie regnauerunt à captiuitate Ioachin nepotis Iosia vsque ad eorum destructionem à Cyro, ideo non possumus adamussim monstrare decursum istorum septuaginta annorum: & variè à diuersis supputatur suscitauit dominus spiritum Cyri regis Persarum, & transire fecit vocem per totum regnum

regnum suum & etiam per scripturam dicendo. Sic dixit Cyrus rex Persarum: omnia regna terra dedit mihi dominus deus cæli. Solita sunt nomina Iehouah Elohe cælorum. & ipse præcepit mihi vt ædificem ei domum in Ierusalaim quæ est in Iehuda. Ex modo loquendi ac scribendi, magnum habetur argumentum quòd ex verbis Esaia prophetae præcicitatis motus fuerit Cyrus, non enim tam assertiuè diuisset atque scripsisset Cyrus hæc, nisi certior redditus fuisset ex antiquo codice Esaia prophetae: interior enim diuinus impulsus non fuisset acceptatus ab eo ad sic asserendum sine certo sensibili testimonio antiquæ prophetiæ. Qui est in vobis de toto populo eius, sit deus eius cum eo, & ascendat ad Ierusalaim quæ est in Iehuda: & ædificet domum domini Dei Israel. Hinc patet quòd Cyrus nō solum hebræis ex Ierusalem, sed etiam ex Samaria & breuiter vniuersis Israelitis concessit vt irent in Ierusalem ad ædificandum templum Dei, ipse est deus. Hebraicè habetur. ipse Elohim qui in Ierusalaim. hoc est ipse est gubernator & iudex vniuersorum qui colitur in Ierusalem, qui elegit sibi templum in Ierusalem. hoc enim pro ratione reddidit Cyrus quare iuuat ad ædificandum templum in Ierusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicunque habitant, adiuuent eum viri de loco suo. Iuxta Hebræum habetur. Et omnem reliquum ex omnibus locis in quibus habitat ibi, subleuabunt viri loci eius argento, & auro, & substantia, & iumento. Et est sensus quòd alii Israelitæ non ascendentes in Ierusalem, adiuuēt euntes: ita vt remanentes in aliqua ciuitate seu oppido adiuuent euntes ex illo oppido seu ciuitate, adiuuent autē argento, auro &c. excepto quod voluntariè offerunt in templo Dei. Iuxta heb. habet. cū voluntate ad domum Elohim quæ in Ierusalaim. Ratio operi ferendi redditur, voluntas ad restaurandum domum Dei in Ierusalem. subiūcta tamen executio insinuat quòd opulentium adiungatur spontanea quoque oblatio ad instaurandum templum Dei.

Et surrexerūt capita patrum Iehuda & Beniamin, & sacerdotes, et Leuitæ, & omnis. Superfluit vltima cōiunctio: nā hebraicè habet appositiuè. omnis cuius suscitauit Elohim spiritum vt ascendat ad ædificandū domum domini quæ in Ierusalaim: narratur enim quod ex tribus duntaxat tribubus surrexerunt principes ad eundū in Ierusalem: Iuda, Beniamin & Leui. Et appositiuè adiungitur quo spiritu fuerūt moti isti, dicendo omnis cuius Elohim suscitauit spiritū ad ædificandū domum summi Dei in Ierusalem.

Quauis ergo Cyrus inuitauerit omnium tribuum Israelitas ad eundem in Ierusalem, ex tribus tamen dūtaxat tribubus moti sunt, Deo in eorum cordibus operante. Et omnes qui erant in circumitu eorum roborauerūt manus eorum. Narrato effectu epistolarum Cyri quo ad volentes ire, subiungitur effectus quo ad remanentes qui opem tulerunt euntibus. in uasis argenteis & aureis, in substantia & iumentu, in supellectili. Iuxta Hebræum habetur. & in preciosis, puta gemmis, exceptis in qua sponte obtulerunt. Sponte oblata appellatur ea quæ ad restaurandum templum donabantur: oblata autem ad adiuuandum euntes, appellantur donata tum pro viatico tum pro redemptione euntium qui erant serui particulationum personarum.

Rex quoque Cyrus protulit vasa domus domini: quæ tulerat Nebuchadnezar de Ierusalem, & posuerat in domo Dei sui. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mitridati filii Ghixbar. Iuxta Hebræum habetur. super manum Mithredath thesaurarii. nominatur enim & proprio & officii nomine minister regius qui dedit subiuncta vasa regis nomine. & numerauit ea Sazabasar principi Iudæ. Parui refert quod legendum esset. Sesbazar duci Iudæ. Et quoniam princeps Iudæ hic dicitur, intelligendus est Zorobabel alio nomine uel utus Sesbazar: nam ipse fuit princeps Iudæ. Et isti numeri eorum: phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille. Dicitio hebraica significat vas ad abluendum manus, quæ malluua seu pollubra vocantur. erant enim & aurea & argentea in tanta multitudine ut sufficerent & multitudini oblationum (in his enim offerebatur similia) & multitudini victimarum, quarum sanguis in huiusmodi uasis recipiebatur & circa altare effundebatur. cultri vigintinouem. Scyphi aurei triginta, scyphi argentei secundi quadringenti & decem. Quod dicit secundi, refertur tam ad scyphos aureos quam ad scyphos argenteos. & dicendo secundi, insinuat quod etiam hæc vasa erant malluua secundi ordinis: forte quia minora vel alterius formæ. vasa alia mille. Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia & quadringenta. Non surgit hæc summa ex numeratis: sed author libri numeratis quibusdam, omissis aliis narrauit omnium summam. omnia ascendere fecit Sesbazar cum iis qui ascenderunt de transmigracione Babel in Ierusalem.

CAPVT

CAPVT II.



Sti autem sunt filii prouinciæ qui ascenderunt de captiuitate transmigracionis quam transmigrare fecit Nebuchadnezar rex Babel in Babel. & reuersi sunt in Ierusalem & in Iehudam, unusquisque in ciuitatē suam. Describuntur & numerantur illi qui uenerunt in Ierusalem. Qui uenerunt cum Zerubabel, Iesua, Nechē'ia, Sera'ia, Rehelā'ia Mordochai, Bilsan, Mispay, Biguai, Rechū, Bahana. De Zorobabel nulla est q̄stio quin ipse sit ex stirpe regia filius Salathiel: ut scribitur infra ca. 5. & propterea prefectus est à rege Persarum in principem populi redeuntis in Ierusalē. Iesua uerò ipse est summus sacerdos filius Tozadac. Sed Nehemias iste in quæstionē uertitur an ipse sit cuius totus secundus liber Hezdræ meminit. sed cōsideratis ac libratis officiis, gestis & temporibus, clarè apparet quod iste Nehemias nō est ille Nehemias qui instaurauit muros Ierusalē. iste enim ascendit cū Zorobabel, ille autem longe post uenit in Ierusalem: ille fuit dux populi post alios duces ut in secūdo libro clarè scribitur, iste autem fuit sub Zorobabel primo duce. cum illo quoque non leguntur ascendisse Iudæi: cum isto autem comitante Zorobabel subiunguntur ascendisse tot millia Iudæorum. numerus uirorum populi Israel.

Filii Pharos duo millia, centum & septuaginta duo. Aduerte quod subiunctorum nominum quædam sunt nomina patrum, quædam nomina locorum: ted hodiernæ notitiæ (à qua longe sunt huiusmodi genealogiæ) parum aut nihil cōfert huiusmodi discussio. Filii Sephar'ia, trecenti & septuaginta duo. Filii Arach, septingenti & septuaginta quinque. Filii Pachath moab' de filius Iesua, ioab: duo millia octingenti & duodecim. Filii Helam, mille ducenti & quinquaginta quatuor. Filii Zathu, nongenti & quadraginta quinque. Filii Zacchai, septingenti & sexaginta. Filii Bani, sexcenti & quadraginta duo. Filii Bebai, sexcenti & uiginti tres. Filii Haxzhad, mille ducenti & uiginti duo. Filii Adonicā, sexcenti & sexaginta sex. Filii Biguai, duo millia & quinquaginta sex. Filii Hadin, quadringenti & quinquaginta quatuor. Filii Ater ex Iechi'ia, nonaginta octo. Filii Bezai, trecenti & uiginti tres. Filii Iora, centum & duodecim. Filii Chasum, ducenti & uiginti tres. Filii Gibbar, nongenti & quinque. Filii Beth'lechem, centum & uiginti tres. Viri Netopha, quinquaginta sex. Viri Hanathoth, centum & uiginti octo. Filii Haxmauech, quadraginta. Ii iij duo.

duo. Filii Cir' iath' harim' chephire, & Beeroth, septingenti & quadragesimae. Filii Rame & Gabah, sexcenti & viginti. Viri Michmas, centum & viginti duo. Filii Beb' el, & Hai, ducenti, & viginti tres. Filii Nebo, quinquaginta duo. Filii Magbis, centum, & quinquaginta sex. Filii Helam alterius, mille ducenti & quinquaginta quatuor. Filii Charim, trecenti, & viginti. Filii Lod Chadid & Ono, septingenti, & viginti quinque. Filii Iericho, trecenti, & quadragesima quinque. Filii Senae, tria millia, & sexcenti, et triginta.

Sacerdotes: filii Iedab' ia de domo Iesuah, nongenti, & septuaginta tres. Filii Immer, mille & quinquaginta duo. Filii Paschur, mille ducenti, & quadragesima septem. Filii Charim, mille & septuaginta. Levitae: filii Iesuah, & Cadmiel de filiis Hodan' ie, septuaginta quatuor. Cantores: filii Asaph, centum & viginti octo. Filii Ianitorum: filii Sallum filii Ater filii Talmon filii Hacub filii Chabite filii Sobai, omnes centum & triginta novem. Nethinai, hoc est dati, Ghabaonitae sunt qui in ritum Iudaeorum transferat a tempore Iosue dati in servitum lignorum & aquae pro templo: isti inter Israelitas supputantur cum genealogiis suis. filii Zicha, filii Chasupha, filii Tabahoth, filii Ceros, filii Sihabe, filii Padon. Filii Lebane, filii Chagabe, filii Hacub, filii Chagab, filii Samlai, filii Chanan, filii Giddi, filii Gachar filii Rea' ie, filii Rexin, filii Necode, filii Gazam, filii Huxae, filii Pascah, filii Besai, filii Asue, filii Mehunim, filii Nephusim, filii Bacbuc, filii Chacupha, filii Charchur, filii Bazluth, filii Mechida, filii Charfa. Filii Barcom, filii Sifre, filii Thamach, filii Nexiach, filii Charipha. Filii servorum Salomonis. Ex eo quod post Nethinaios supputantur isti, & paulo post simul summatur Nethinai & filii servorum Salomonis, insinuat quod etiam isti filii servorum Salomonis non erant Israelitae secundum naturalem originem, sed secundum legem ac fidem. & hoc ipsum servitutis nomen indicat: nam tempore Salomonis nullus originaliter filius Israel erat servus: ut scribitur, 3. Reg. 9. ex hoc ergo quod dicuntur isti filii servorum Salomonis, manifestatur quod alienigenae erant secundum genus, Israelitae autem secundum professionem fidei & legis a tempore Salomonis, sicut Nethinai a tempore Iosue. filii Sotai, filii Sophereth, filii Perude, filii Tahale, filii Darcon, filii Giddel, filii Sephar' ie, filii Chatil, filii Pocheeth de Zebaim, filii Ami. Omnes Nethinai & filii servorum Salomonis, trecenti & nonaginta duo.

Et

Et isti ascendentes de The' melach The' charsa, Cherub Addan Immer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, an ex Israel essent. Filii Dela' ia, filii Tob' ia, filii Necode: sexcenti & quinquaginta duo. Et de filiis sacerdotum, filii Chaba' ia, filii Haccoz: filii Barzillai qui accepit de filiabus Barzillai Ghilhadii uxorem, & vocatus est nomine eorum. Isti quae scribitur genealogia sua & non inuenerunt: & eieci sunt a sacerdotio. Duo genera non inueniuntur origines suas narrantur. alterum sexcentorum quinquaginta duorum: alterum sacerdotum filiorum Chabaiae: illi incerti an essent ex genere Israel: isti vero incerti an essent ex genere Aharon. Et dixit Thirsatha eis ut non comederent de sancto sanctorum. Iste (ut inferius in lib. 2. ca. 8. dicitur) est Nehemias dux qui instauravit muros Ierusalem. Ex quo colligitur quod discussio ista facta fuit longe post aduentum Iudaeorum in Ierusalem, quavis prius reciteretur. Nehemias enim dux anno vigesimo Xerxis venit in Ierusalem, quando iam Iudaei fuerat in Ierusalem per annos quinquaginta. Auctoritate itaque ducali Nehemias eiecit istos incertos a sacerdotio, non penitus sed ut non comederent de sancto sanctorum: hoc est de iis quae in lege Moysi appellantur sancta sanctorum: qualia erant quaecunque immolabantur pro peccato, & quaecunque offerebantur, sic quod pars eorum cremanda erat Deo per modum holocausti. ita quod non solum fuerunt eieci ab officio sacerdotali (hoc est a sacrificando ut sacerdotes) sed etiam a participando sacrificata quae appellabantur sancta sanctorum: reliqua autem videntur eis permessa, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. Iuxta Hebraeum habetur. in *Vrim* & in *Thummim*. hoc est usquequo stabit sacerdos in illustrationibus & perfectionibus. Expectandum censuit iudicium sacerdotis lumine diuino illustrati ad illuminandum alios & perficiendum ea quae diuini sunt cultus. Nomina haec Exod. vigesimo octavo exposuimus.

Tota congregatio quasi vir unus. Vnanimitas tantae multitudinis describitur. quadragesima duo millia trecenti sexaginta. Excepti seruis eorum & ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti & triginta septem. & eis erant cantores & cantatrices ducenti.

Equi eorum septingenti & triginta sex: muli eorum ducenti & quadragesima quinque. Cameli eorum quadringenti & triginta quinque: asini sex millia septingenti & viginti. Et de capitibus patrum

lii iij cum

cum ingrederentur domum domini qua est in Ierusalaim. Pendet constructio literæ vsque ad subiuncta verba. sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo. Quæ iuxta Hebræum sonant. spontanei fuerunt domui Elohim ad faciendum stare ipsam super directionem suam. Est itaque sensus literæ quæ cum venirent in domum Iehouah quæ in Ierusalem spontanei domui Elohim ad faciendū stare ipsam prout ratio domus exigebat, obtulerunt secundum vires suas. Nec clarè liquet an sit sermo de aduentu ad construendam domum Dei, an de aduentu in ipsam domum constructam ad supplendum opportuna, primus tamen sensus magis quadrat subiunctis. Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos quadraginta millia & mille. Iuxta Hebræum habetur, dederunt thesauro operis auri solidos sexies decem millia & mille, & argenti minas quinque millia. Nec vim facias in verbo solidos: quoniam incertum est genus illius nummi. & vestes sacerdotales centum. Vestes istæ ante constructionem templi similiter datæ videtur, quando constructum est altare holocaustorum & pauci sacerdotes erant in Ierusalem.

Habitaueruntque sacerdotes & Leuitæ & de populo & cantores & ianitores & Nethinai in ciuitatibus suis: & reges Israel in ciuitatibus suis. Hic clarè redit author ad texendū in historiam rei gestæ in principio quādo venerunt ex captiuitate in terram promissionis: quod scilicet tunc vnusquisque iuit ad ciuitatem suam & ibidem habitauerunt.

CAPVT III.

Amq; venerat mensis septimus. Parni refert quod Hebraicè habetur. Et attingit mensis septimus. Aduentus mensis septimi quo ad illius initium significatur. & est sermo de mense septimo primi anni ab habitatione in terra Iudæ postquam redierunt ex captiuitate. & filij Israel erant in ciuitatibus: & congregatus est populus tanquam vir vnus in Ierusalaim. Et surrexit Iesuah filius Ioaxadac & fratres eius sacerdotes, & Zerubabel filius Sealthiel & fratres eius: & edificauerunt altare Dei Israel ad offerendum super ipsum holocausta sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei. Proculdubio edificauerunt altare holocaustorum antequam edificaretur templum: erat enim secundum legem sub diuo. Collocauerunt autem altare Dei super bases suas. Quauis aliis verbis, eadem tamè redit sententia: videlicet quod firmauerunt altare super firmitates


tates suas: hoc est edificauerunt altare immobile ex lapidibus quos ferrum non tetigit iuxta legem Moysi viri Elohim. Et huius ratio subditur timor à populis per circumitum, ne facile ab eis altare destrui posset sicut si fuisset altare mobile, deterrerentibus eos per circumitum populis terrarum: & obtulerunt super illud holocausta domino, holocausta mane & vespere. Iuge sacrificium (matutinum videlicet & vespertinum) ex tunc inchoatum significatur. Feceruntque solennitatem tabernaculorum sicut scriptum est: & holocausta per singulos dies in numero, iuxta ritum opus dies in die suo. Seruata scribitur lex de holocaustis in diebus solennitatis tabernaculorum: singulis enim diebus variabatur holocaustum secundum legem Moysi. Et post hæc holocaustum iuge tam in calendis. Legendum est. Et post sic holocaustum iuge & in calendis & in omnibus solennitatibus domini sanctificatis: & in omnibus in quibus vltro offerrebat manus domino, narratur enim quod deinceps seruata est lex immolandi super illud altare tum quotidie iuge holocaustum, tum in calendis, tum in solennitatibus omnibus, tum in spontaneis sacrificiis. A primo die mensis septimi ceperunt offerre holocausta domino: porro templum domini nondum fundatum erat. Clarè manifestatur etiam dies quo inceperunt sacrificare ante fundamentum templum.

Dederunt autem pecuniam latomis & artificibus: cibumq; & posum & oleum Zidonis & Tyriis vt deferrent ligna cedrina de Lebanon ad mare Iapho. Imitati regem Salomonem in hoc opere sunt, iuxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis. Iuxta Hebræum habetur, sicut concessio Cyri regis Persarum super eos: ita quod non præceptum sed gratia concessa recitatur. Anno autem secundo aduentus eorum ad domum Dei in Ierusalaim. Nomen est Elohim. Et hinc manifestè patet quod author istius libri appellat aduentum ad templum Dei in Ierusalem, ipsum aduentum ad edificandum templum, quod idem notandum diximus, vt verba præcedentis capituli quæ ambiguitatis aliquid præ se ferebant hinc clarescant. mense secundo, iuxta ordinem mensium in anno: hoc est sole existente in tauro, quotus est apud nos aprilis ceperunt fundare templum, & statuerunt Leuitas superintendentes operi. Zerubabel filius Sealthiel & Iesuah filius Ioaxadac & reliqui fratres eorum sacerdotes & Leuitæ & omnes qui venerant de captiuitate in Ierusalaim, & constituerunt Leuitas à filio vigintiannorum & supra. iuxta decretum

eretur Dauidis. ut praesentent super opus domus domini. Stetitque Iesuah, filij eius & fratres eius, Cadmiel & filij eius filij Iehuda, tanquam vir vnus, ut instarent super eos qui faciebant opus in domo Dei. Nomen est Elohim, filij Chenadad, filij eorum & fratres eorum Leuitae.

Fundato igitur à cementariis templo domini. Legendum est. Et fundarunt aedificatores templum domini: & steterunt sacerdotes induti cum tuba & Leuitae filij Asaph cum cymbalis, ad laudandū dominum super manus Dauid regis Israel. Describitur solennitas foundationis templi: videlicet quod fabris fundamenta iaciētibus templi, apparatus conuenit sacerdotum, Leuitarum & populi &c. Et cecinerunt in hymno & cōfessione domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Sepe dictū est quod hebraicē habetur. gratia eius super Israel: et totus populus vociferati sunt vociferatione magna in laudando dominum, eo quod fundata esset domus domini. Plurimi etiam. Legendum est. Et multi ex sacerdotibus & Leuitis & capitibus patrum senes qui viderunt domum primam, dum fundarent hanc domum in oculis eorum, fiebāt voce magna. Hinc insinuat quod septuaginta anni seruitutis Babylonicæ prædicti à Ieremia prius inceperunt quādm fuerit combustio templi. ex eo enim quod in fundatione secundi templi narratur praesentes multi senes & memores primi templi, non qualitercunque ut pueri, sed distinctē memores excellentis fabricæ & preciositatis primi templi: ita ut fieret, apparet quod fuerant tempore combustionis templi perfectæ ætatis, qui tempore foundationis noui templi fiebant senes. & multi vociferantes in laetitia cleuabant vocem. Nec poterat quisquam agnoscere, iuxta Hebræum habetur. Et non populus cognoscētes vocem clamoris letitia: à voce stertus populi: quia populus vociferantes vociferatione magna, & vox audiebatur vsque ad longinquum. Nō negatur discretio à quolibet: sed quod populus non discernebat propter magnum clamorem.

CAPVT IIII.

 Viderunt autem hostes Iehuda & Biniamin, Samaritani, quod filij transmirationis aedificarent templū domini Deo Israel, Et accesserunt ad Zerubabel & ad capita patrum, & dixerunt ei: aedificemus vobiscum quia sicut vos querimus Deum vestrum, & ei immolamus à diebus Esar chadon regis Assur qui ascendere fecit nos huc. Lege quartū regū: & inuenies Samaritanos coluisse quidē deū celi, sed nō solū, sed

sed simul coluisse etiam deos suos: & propterea & verum ex parte dicunt, & meritō repellunt. Et dixit ei Zerubabel & Iesuah & reliqua capita patrum Israel, non est vestrum & nostrum aedificare domum Deo nostro, sed nos soli aedificabimus domino Deo Israel, sicut præcepit nobis rex Cyrus rex Persarum. Auctoritatem regis afferunt ut minus eos despiciere videantur. Et fuit, populus terræ impediēbat manus populi Iehuda: & turbabat eos in aedificando. Ecce primum impedimentum aedificandi templum: terror videlicet Samaritanorum. Conduxerunt quoque contra eos consiliarios ut destruerent consilium eorum. Ecce secundum impedimentum, quo Samaritani contuperunt consiliarios regis trans flumen ad frangendum consilium Iudæorum. nec aliter explicatur in hebræo: sed intelligimus regios ministros fregisse consilium Iudæorum factis potius quām verbis, subtrahendo videlicet sumptus regios quos ordinauerat Cyrus dandos ad aedificandum domum Dei: ut clarē contingit in epistola Cyri recitata inferius cap. 6. quauis tacitum hoc fuerit in cap. 1. omnibus diebus Cyri regis Persarum, & vsque ad regnum Darij regis Persarum. Quanto tempore præualuerit Samaritanorum pecunia ad contumpendum consiliariis regios describitur: videlicet durante regno Cyri (qui regnauit annis triginta) & vsque ad regnum Darij, inter quem & Cyrum medius fuit Cambyfes Cyri filius, & quidam alius tyrannus.

In regno autem Assurii ipse est Artaxerxes, iuxta Hebræum habetur. Et in regno Achas ueros in principio regni eius. Iste vocatus Assuerus est Cambyfes filius Cyri. distulerunt enim viuente Cyro scribere contra Iudæos: quia sciebant Cyrum mandasse ut etiam sumptu regio aedificaretur templum in Ierusalem: sed mortuo Cyro crediderunt opportunum aduenisse tempus scribendi aduersus Iudæos, scripserunt accusationem. Hebraicē habetur, odium contra habitatores Iehuda & Ierusalem, non enim per modum accusationis scripserunt, sed odiosa Iudæis, tum quia exosa erāt Iudæis, tum quia ex odio Samaritanorū prodibant, tum præcipuē quia erant prouocantia regem ad odium Iudæorum habitantium in Iudæa & in Ierusalem. Et in diebus Artaxerxis. Descripturus auctor modum quo scripserunt, resumit Hebraico more tempus nominādo eundē regem altero nomine, scripsit Besellā. Iuxta heb. habetur, scripsit in pace Mith' redath Tabcel et reliqui socij eius ad Artaxer-

Artaxerxem regem Persarum. Modus scribendi narratur, videlicet in pace: hoc est nulla turbatione ostensa Iudæis, nihil de hoc suspicantibus Iudæis, & hoc astute ne Iudæi præuenirent regem aut mitterent respondentes. *epistola autem accusationis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro.* Narratur quod epistola erat scripta characteribus Syris, & quod etiam sermo scriptus erat Syrus: ita quod tam sermo quam character epistolæ erat Syrus. *Rechum Behel tehem & Simsai scripserunt epistolam unã super Ierusalem, Artaxerxi regi huiuscemodi.* Non sum sollicitus circa nomina: sed duo qui dictauerunt epistolam describi videntur. alter (vt hebraica sonant) caput causæ, præcipuus in regimine, qui in vulgata æditione vocatur Rehum Beheltehem: Rehum enim est nomen proprium, Beheltehem verò est nomen officij. alter scriba. *Tuc Rechum Behel tehem & Simsai scriba. & reliqui socij eorum: Dina'ia & Apharsathch'ia, Tarpela'ia, Apharsa'ia, Archua'ia, Bab'la'ia, Susan'ha'ia, Dehaue, Helma'ia.* Et reliquæ gentes quas transtulit *Ahsapar magnus & gloriosus, & habitare fecit eas in ciuitatibus Somrain: & reliquæ trans flumen & Cheheneth.*

Hoc est exemplar epistolæ quam miserunt ad eum, ad Artaxerxem regem: serui tui viri trans fluum salutem dicunt, iuxta hebræum habetur. *vir trans fluum & Cheheneth,* Ex quibus apparet quod nomen proprium est Cheheneth: & quia vtrobiq; apponitur post trans flumen, nomen proprium regionis distinctæ à regione trans flumen vel fluminis alterius ab Euphrate præ se fert. & significatur vniti isti cum gentibus trans Euphratem aduersus fabricam Ierusalém. Notum sit regi quod Iehudai qui ascenderunt à te ad nos. Pronomen te, non demonstrat personam, sed maiestatem regiã: non enim à Cãbyse, sed à Cyro rege ascenderant. *venierunt in Ierusalem: ciuitatem rebellem & pessimã.* Parui refert quod Hebraicè habetur. *& malã edificantes, & muros eius fundauerunt & parietes cõposuerunt.* Vide astutiam inuertentium ædificium tẽpli in ædificium ciuitatis: de cuius ciuitatis instauratione nec Cyrus in sua epistola meminit, nec scriptum est quod Iudæi tunc temporis inchoauerint reparare muros Ierusalem: vt patet infra ex libro Nehemix. *Nuc notum sit regi quod si ciuitas illa adificata fuerit & muri eius fundati fuerint: tributum, veltigal & redditum non dabunt, & vsque ad reges hæc noxa perueniet.* iuxta Hebræum habetur. *& tributum regum dånium patietur.* in regem siquidem dånium emergere

emergere narrat. Nos autem memores salis quod in palatio commedimus, iuxta Hebræum habetur. *Nunc omne pro vicissitudine quia desertionem tẽpli desertauimus.* Imputant Iudæis quod ad vindicandum destructionem tẽpli quam nos serui regis olim fecimus, ædificiũ hoc aggrediuntur. *& quia lesiones regis videre nefas ducimus.* iuxta Hebræum habetur. *& vilipensionem regis non honestam nobis videre: propterea misimus & notificauimus regi.* Non solum vindictam, sed paruipensionem regis fingunt interuenire, ideo nunciandum censent regi. *Vt quæras in libro historiarum patrum tuorum, & inuenies in libro historiarũ & scies quod ciuitas illa ciuitas est rebellis & nocens regibus & prouincijs, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis.* iuxta Hebræum habetur. *& rebellionem facientes intra eam à diebus seculi.* Verum dicunt quo ad multas rebelliones cõtra extraneos reges factas: vt patet in historia regum Iudæ. *quãobrem & ciuitas hæc destructa est.* Notificamus nos regi quod si ciuitas hæc adificata fuerit & muri ipsius fundati fuerint: possessionem trans fluum nõ habebis. Deficiunt hic duæ dictiones: legendum est. *pro hoc pars trans flumen non veniet tibi.* Priuatio prouentus regij ex regione trans flumen euentura narratur pro hoc ædificio si permittitur.

Verbum misit rex ad Rechum Behel tehem & Simsai scribam & reliquos socios eorum qui habitabant in Somrain & caeteros trans fluum, salutem dicēs & pacem. Hebraicè habetur. *Selam & Cheheth.* Nomina fluuiorum videntur hæc, dicendo trans fluum Selam & Cheheth. Accusationem. Hebraicè habetur. *Epistola quã misisti ad nos, manifestè lecta est coram me. & nulla fit mentio accusationis. Et à me præceptum est, & quæsierunt & inuenerunt quod ciuitas illa à diebus antiquis.* Legendum est. *à diebus seculi cõtra reges rebellet.* Hebraicè habetur. *eleuã.* Primum inuẽtum est quod ciuitas Ierusalem eleuabatur aduersus reges. *& seditiones & prælia concitantur in ea.* Hebraicè habetur. *& rebellio & refutatio fiebat in ea.* Hebraico more maius præponitur: videlicet rebellio refutationi. sensus est quod recusabant subiici & rebellabãt, eleuabãtur aduersus reges. Et verum esse historia regum testatur, & tempore Ezechix & aliorum regum. *Et reges fortes fuerunt in Ierusalem, & dominati sunt in omni regione trans flumen: tributumque, veltigal & redditus dabatur eis.* Nunc ergo audite sententiam: prohibeatis viros illos vt vrbs illa nõ adificetur, donec si forte à me iussum fuerit. iuxta hebræum

hebræum habetur. Nunc ponite edictum ut cessent homines isti: & ciuitas illa non ædificetur, donec à me præceptum positum fuerit. Ecce tertium impedimentum ædificandi templum: quanuis epistola regia nihil dicat de templi, sed ciuitatis ædificio. Videte ne negligenter hoc impleatis: & paulatim crescat malum contra reges. Hinc apparet commotus regis animus aduersus Ierusalem.

Tunc postquam exemplar epistolæ Artaxerxis regis lectum est coram Rechem & Simsai scriba & sociis eorum: iurunt festinanter in Ierusalem ad Iehudæos, & cessare fecerunt eos in brachio & robore. Tunc intermissum est. Legendum est. Tunc cessauit opus domus Elohim quæ in Ierusalem: & cessauit vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum. Rex inhibuit ædificari ciuitatē, excoutores autem inhibuerunt ædificari templum: & ex tunc cessauit continuatio ædificandi templum vsque ad annum secundum regni Darij, quod tempus fuit spatium decem annorum vel circa. Et hinc habetur quod quanuis Samaritanorum suggestione principes trans flumen impedimentum dederint ædificio templi, non tamen Iudæi cessauerunt ædificare templum secundum vires propriarum facultatum: sed iubente Cambyse, interrupta est ædificatio templi.

CAPVT V.

Rophetauerunt autem Chaggai propheta & Zecharia filius Hiddo propheta super Iehudæos qui erant in Iehud & in Ierusalem: in nomine Dei Israel super eos. Secundo Darij anno: ut patet in principio Aggæi & Zachariæ. Tunc surrexerunt Zerubabel filius Scalthiel & Iesuah filius Iozadac. Tempus prædictum secundi anni Darij demonstratur: & ceperunt ædificare domum Dei quæ est in Ierusalem. Non absolute ceperunt, sed post interruptionem iterum ceperunt ædificare. & cum eis propheta Dei adiuntes eos. Causa redditur incitans ad ædificandum exhortatio prophetarum in nomine Dei.

In illo tempore venit ad eos Thatthenai dux trans flumen & Sethar' bozenai & socij eorum. Mutatus erat dux regionis trans flumen: & hæc quoque mutatio animæ quiores reddidit principes Iudæorum ad ædificandum templum. forte mortui erant illi qui tempore Cambylis scripserant contra eos. & sic dixerunt eis, quis dedit vobis consilium. Legendum esset. auctori-

tatem

tatem domum hanc ædificandi & muros hos fundandi: quærun-
t enim qua autoritate ædificant templum illud. Tunc sic dixe-
runt eis: quæ sunt nomina virorum qui hoc ædificiū ædificānt? Et sic
Dei eorum fuit super senes Iehudæorum, & non potuerunt inhibere
eos, placuitque ut res ad Darium referretur. Iuxta hebræum habe-
tur. & non cessauerunt ipsi donec causa ad Darium ibit. Oculus
diuinæ gratiæ super senes Iudæorum, causa describitur
quod non cessauerunt ab ædificando donec consuleretur
Darius rex. effectus enim diuinæ gratiæ fuit quod Thatthe-
nai dux annuit petitioni Iudæorum ut nō impediretur ædi-
ficium vsque ad cōsultationem Darii. & tunc satis facerent ad-
uersus accusationem illā. Iuxta hebræum habetur. & tunc respo-
debunt responsonem super hoc. hoc est & tunc respondebunt
prout respondendum erit iuxta Darii voluntatem.

Exemplar epistolæ quam misit Thatthenai dux trans flumen, &
Sethar' bozenai & socij eius Aphascha' iæ qui erant trans flumen
ad Darium regem. Verbum miserunt ad eum: & sic scriptum erat
in eo, Dario regi pax omnis. Notum sit regi quod inimus in Iehud
prouinciam ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impo-
lito. Iuxta hebræum habetur. lapide marmoreo. non desunt ta-
men defendentes impolitum. & ligna ponuntur in parietibus:
& opus hoc festinanter fit & prosperatur in manibus eorum. Tunc
interrogauimus senes illos, sic diximus eis: quis dedit vobis auctori-
tatem domum hanc ædificandi, & muros hos fundandi? Et etiam
nomina eorum quæ suimus ab eis ad notificandum tibi: ut scribere-
mus nomina virorum qui sunt duces eorum. Et huiusmodi ver-
bum responderunt nobis dicendo: nos sumus serui Dei cæli & terra.
Auctoritatem à Deo in primis se habere confessi sunt, con-
fissi in verbis prophetarum. & ædificamus domum quæ fuit ædi-
ficata ante hos annos multos, & rex Israel magnus ædificauerat &
fundauerat eam. Postquam autem ad iracundiam pronocauerunt pa-
tres nostri Deum cæli, tradidit eos in manum Nebuchadnezar regis
Babel Chaldæi: & domum hanc destruxit, & populum eius transtu-
lit in Babel. Anno autem primo Cyri regis Babel, Cyrus rex posuit
edictum ut domus Dei hæc ædificaretur. Et etiam vasa domus Dei
aurea & argentea quæ Nebuchadnezar tulerat de templo quod erat
in Ierusalem & asportauerat ea in templum Babel, protulit Cyrus
rex de templo Babel, & data sunt Seibazar quem constituit ducem.
Adiungunt diuinæ auctoritati, regis Cyri auctori-
tatem: quam & probant factio donationis vasorum templi.

Dixitq;